FORMVLA INDVLGENTIARVM,

Cum quibus Sanctiſs. D. N. ALEXANDER Papa VIII. Coronas, Roſaria, Cruces, paruaſque Imagines, ſeù Numiſmata ex auro, aut argento, aliouè metallo confecta, Medallias vulgò nuncupatas, benedicit per occaſionem Canonizationis SS. Confeſſorum Laurentij Iuſtiniani, Ioannis à Capiſtrano, Ioannis à Sancto Facundo, Ioannis Dei, & Paſchalis Baylon.

QVicumque ſaltem ſemel in hebdomada, Coronam Domini, vel Beatiſsimæ Virginis, aut Roſarium, eiuſue tertiam partem, aut Officium vel Diuinum, vel paruum Beatiſsimæ Virginis, vel Defunctorum, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, recitare, aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicuius Domus Hoſpitalis ægrotos viſitare, aut pauperibus ſubuenire, aut Miſſam vel audire, vel, ſi eſt Sacerdos celebrare conſuevit, ſi verè pœnitens, & Sacerdoti per Ordinarium approbato confeſſus, Euchariſtiæ Sanctiſsimum Sacramentum acceperit in quolibet ex diebus infraſcriptis, nimirùm die Feſto Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sanctiſsimæ Trinitatis, & Corporis Chriſti, & die Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Natiuitatis Beatiſs. Virginis; tum Feſto Natiuitatis S. Io: Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Philippi, & Iacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Iudæ, Matthiæ, quinq; Sanctorum modò Canonizatorum, atq; omnium Sanctorum, piaſq; ad Deum præces fuderit pro hæreſum, atq; ſchiſmatum extirpatione, Fidei Catholicæ propagatione, pace, & Chriſtianorum Principum concordia, ceteriſq; Romanæ Eccleſiæ neceſsitatibus, plenariam ſuorum peccatorum remiſsionem, & Indulgentiam conſequetur.

Quiſquis in vigilia cuiuslibet iſtorum quinq; Sanctorum ieiunauerit, & confeſſus in ipſius Feſto Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerit, oraueritq; Deum, vt ſupra dictum eſt, toties Indulgentiam plenariam conſequatur.

Quicumque Miſſam celebrauerit, vel confeſſus, & ſacra Communione refectus interfuerit Miſſæ ad Altare, in quo Imago, aut Corpus, aut Reliquiæ cuiuslibet prædictorum quinque Sanctorum aſſeruantur, pièque Deum orauerit, vt dictum eſt, die vero, quem voluerit cuiuslibet menſis, plenariam Indulgentiam lucretur.

Quiſquis verè pœnitens peccata commiſſa emendare firmitèr propoſuerit, & eadem die viſitauerit ſeptem Eccleſias quaslibet, & vbi tot Eccleſiæ non reperiuntur, quotquot ibi ſunt, & ſi vnica tantum Eccleſia ſit in loco, omnia ipſius Altaria, & pro hæreſum extirpatione, &c. piè Deum orauerit, ſemel in anno fruatur Indulgentijs conceſsis ſeptem Vrbis Eccleſias viſitantibus.

Quicumq; deuotè cogitauerit de aliquo Sanctiſsimæ Paſsionis D. N. Ieſu Chriſti Myſterio, & in eiuſdem Paſsionis honorem ſepties terram humiliter deoſculatus fuerit, eo die lucretur Indulgentias conceſſas aſcendentibus Romæ per Scalam Sanctam, hoc autem ſemel tantùm in ſingulis annis.

Quiſquis prædictorum quinq; Sanctorum imitatione vel peccata ſua verè deteſtabitur cum firmo propoſito non peccandi de cætero, vel actum aliquem virtutis exercebit, toties lucretur Indulgentiam ſeptem annorum, ac totidem quadragenarum.

Quiſquis leget aliquod libri caput de Vita eorundem Sanctorum, aut inviſet eorum Altare, vel Imaginem venerabitur, & orauerit pro felici ſtatu S. Matris Eccleſiæ, Peccatorumq; conuerſione, ſingulis vicibus percipiat Indulgentiam 100. dierum.

Eandem pariter conſequatur, qui aliquid pauperibus tribuet, vel eoſdem inſtruet, aut per alios inſtrui curabit, in ijs quæ pertinent ad fidem, bonoſue mores.

Qui ad pulſum Campanæ alicuius Eccleſiæ, manè, aut meridie, aut veſperi, conſuetas preces, Angelus Domini, &c. dicet, vel ſi eas ignoret, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam; vel dato ſigno orandi pro Defunctis, Pſalmum, De profundis, aut, ſi hunc neſciat, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabit, eandem Indulgentiam adipiſcetur.

Quilibet in Vrbe commorans, vel ab ea vltra viginta milliaria non abſens, ſi, legitimè impeditus, non interfuerit benedictioni, qua Romanus Pontifex in feſto Paſchatis, & Aſcenſionis ſolemniter benedicere conſuevit, confeſſus autem Sacroſancta Communione reficiatur, & pias ad Deum preces pro hæreſum extirpatione, &c. fuderit; Indulgentijs fruatur, quibus præſentes fruuntur: eadem verò ſi adimpleverint longè ab Vrbe abſentes, eaſdem Indulgentias, etiamſi legitimè non impediti, conſequantur.

Quiſquis in articulo mortis ſe totum Deo deuotè commendans prædictos Sanctos, vel ex ijs, vnum invocauerit ore, ſi potuerit, ſin minus, ſaltem corde, confeſſus, Sacraque Communione refectus, ſi potuerit, alioquin ſaltem contritus, plenariam peccatorum Indulgentiam conſequatur.

Omnes ſupradictæ Indulgentiæ fidelibus defunctis applicari poſſunt per modum ſuffragij.

Pro eiſdem percipiendis ſatis eſt priuatim habere apud ſe aliquam Coronam, vel Crucem, &c. cum prædictis Indulgentijs a S. Sua benedictam, & quæ ſuperius præſcripta ſunt adimplere, licet illa etiam alio nomine impleri fortè debuerint.

In diſtribuendis huiuſmodi Coronis, Crucibus, &c. earumque vſu Sanctiſsimus ſeruari iubet Decretum fel. record. Alexandri VII. editum ſub die 6. Februarij 1657. nimirùm, vt Coronæ, Cruces, Roſaria, Numiſmata, quæ vulgo Medalliæ nuncupantur, & ſacræ Imagines cum præfatis Indulgentijs benedictæ non tranſeant perſonam illorum, quibus à Sanctitate Sua conceſſæ ſunt, aut quibus ab his prima vice diſtribuuntur, neque commodari, aut precario dari poſsint, alioquin careant Indulgentijs iam conceſsis; & aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea ſubrogari altera nullo modo poſsit, quacumque conceſsione, aut priuilegio in contrarium non obſtante.

I. F. Card. Albanus.

ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ. M. DC. XC.

Para S.r Fran.co de Villamar-
vin.